

propriamque vitam, & membra tueri potest: Item si quis iniustum aggressorem occidit, quem pugno, baculo, percussione non lethali, vel exarmando illum, abigere, & vincere potest, Modum excedit, moderamen inculpate tutelae non servat, & occidendo illicite agit: sicut etiam ille, qui sine gravi suo incommodo aut periculo fugere, aut clamare, & auxilium implorandum salutare se possit, & tamen occidit, per dicta. Sylvester ff. Homicidium. 3. q. 4. dicitur. 1. Pithing h. t. n. 92.

234 Tertio requiritur Tempus, ut videlicet occisio, ad sui defensionem in continenti fiat; quo quis iniustam vim, vel aggressionem occisivam, aut mutilationem patitur, vel certo imminente cognoscit; non vero postea & intervallo, postquam aggressor jam obiit, aut nocere & aggredi desistit, nullumque amplius periculum est; arg. a. Si vero de Sentent. Excomm. ibi: Si in continenti vim vi repellas. Concordat l. quod est. §. 9. ff. de vi armata. Ratio est, quia si ex intervallo adversarium quis occidit, postquam amplius nocere non vult, vel non potest, vel metuendum non est, jam non amplius ex necessitate sui defensionem, sed ex vindicta, consequenter illicite agit; prout cum Communi aliorum late deducit Farinacius in praxi Crimin. q. 125. a num. 336.

235 Notant tamen merito Doctores, quod sicut nullus expectare, donec eum alter actu aggrediatur, sed sufficit, si aggressionem iniustam certo imminente sciat, ad hoc, ut pro defensione vitæ, & corporis illum occidere valeat, ita etiam possit eundem occidere, postquam aggredi jam cessavit, & aufugit, si certum periculum sit novæ invasionis; quia in tali casu præventio nec vindicta, nec iniusta aggressio, sed pura defensio foret, juxta jam dicta supra, Pithing h. t. n. 92. Navarrus Man. cap. 15. n. 2. in fine, etiam diximus in Theologia nostra Morali Tract. 9. dist. 2. q. 2. n. 18.

236 Cæterum num Tria hæc ad moderamen inculpate tutelae requisita, ritè sint observata, relinquendum est prudentiæ & arbitrio Judicis. Farinacius loc. cit. Pithing h. t. loc. cit. & Communis aliorum. Ratio est; quia de factis particularibus ob varias circumstantias certa Regula tradi non potest.

237 Resp. II. Etiam pro defensione vitæ, & membrorum parentis, uxoris, prolis, fratris, sororis, conjunctorum, imò & extraneorum Innocentium licitum est, iniquum aggressorem servato moderamine inculpate tutelae occidere. Farinac. in praxi Crimin. p. 124. a n. 267. Clarus ff. homicidium n. 27. dicens esse ab omnibus Doctores approbatum, arg. can. Fortitudo §. cau. 23. q. 3. ibi: Fortitudo, quæ vel in bello tuetur à Barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus socios, plene iustitiae est. can. Non inferenda. 7. cau. qui potest. §. rad. cau. §. 9. juncto c. Dilectio. §. 6. Et quidem de sentent. Excomm. in 6. Ubi etiam injuriæ, & criminis solius reus censetur, qui dum potest, innocentem non defendit: qui enim non repellit à socio injuriam, dicitur cit. cau. non inferenda. tam est, quam ille, qui facit. Concordat l. 1. §. 4. ff. ad legem Cornel. de Sicar. Et constitutio Carolina art. 150. §. Item so ei-ner. Ratio est; quia non tantum possumus, sed etiam jubemur diligere, consequenter etiam defendere proximum, sicut nos ipsos, juxta illud: Diliges proximum tuum sicut te ipsum. Unde per Spiritum S. laudatur Moyses, quod Ægyptium iniustum aggressorem Hebræi cuiusdam occiderit, & absconderit in subulo, Exodi cap. 2. v. 11.

238 Queritur II. Num etiam licitum sit ob defensionem bonorum fortunæ occidere iniustum invasorem? Resp. Affirmative, si bona sunt magni momenti, & aliter defendi vel recuperari non possunt. Co-

varruvius in Clement. si furiosus. p. 3. §. un. nu. 6. in fine. Castro Palao de Censuris. disp. 6. pun. 15. n. 7. Et seq. Suarez de Censuris. Disp. 46. sect. 2. n. 10. Lessius lib. 2. de iust. cap. 9. dub. 11. Clarus ff. Homicidium, a n. 15. Petrus Navarrus lib. 3. de Regit. cap. 4. n. 418. cum satis communi aliorum, arg. l. I. C. Unde vi, ubi etiam universaliter concedi videtur illis verbis, Reclè possident ad defendendam possessionem, quam sine viro tenebat, inculpate tutelae moderamine illatam vim propulsare licet: consequenter etiam occidere, si occisio ad defensionem est necessaria; cum permissio sine permittantur etiam media ad illum consequendum necessaria, arg. c. Præterea §. de Offic. Episcopi. ff. de iust. delegati. l. 2. ff. de iurisd. cum Concordantibus: concordat l. Furem q. ff. ad Legem Cornel. de Sicar. Ratio est: Tum quia res & bona nostra utpote ad vitam conservandam necessaria, vitæ quodammodo comparantur, l. Advocati 14. C. de Advocatis adversor. iudicior. & ibi Glossa communiter recepta: Tum quia, si pro defensione bonorum necessaria non liceret occidere iniustum invasorem, improbi multum moverentur ad diripienda bona nostra.

Dicitur autem notanter, si bona sunt magni momenti, & aliter defendi, aut recuperari non valent; quia, quod ob res levis momenti occidere non liceat aggressorem, hodie certum videtur ex Decreto Innocentii XI. sequentem Doctrinam damnantis: Regulariter occidere possunt furem pro conservatione vitæ suæ. Pariter non licet occidere, si res alio modo defendi, aut iterum recuperari possunt, quia tunc non servaretur moderamen inculpate tutelae, consequenter illicite ageretur, arg. cit. l. I. C. unde vi. Hinc bene inferit Clarus loc. cit. num. 27. non licere occidere invasorem bonorum, v. g. furem, si clamando, quis potest habere aliorum auxilium, & rem suam defendere, vel recuperare, vel si potest furem capere, vel si habet testes, quibus potest in iudicio, vel alio modo rem ab eo iterum recuperare.

Resp. II. Insuper interficere non licet iniquum accusatorem, testem, vel Judicem, etiam ab eis grave damnum temporale imminet, quia ac Alexandro VII. absolute damnata est doctrina sequens: Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, & falsum Iudicem, à quo iniqua certè imminet sententia; si alia via non potest innocens damnum evitare. Ratio est; quia admittà hac propositione, innumera sequerentur absurda, & mala: dum amorem proprio multi excecati se reputarent, & dicerent innocentes, etiam si tales non essent, & occidere niterentur præfatas personas: Et ipsi quoque Iudices, accusatores, & testes, ut securos se redderent, reum vel judicialiter, vel privatim occiderent, etiam non exigente iustitia, aut occidi facerent, ut consideranti patet.

Resp. III. Non licet defendere defensionem occisivam, ea, ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus; quia hoc etiam damnatum est ab Innocentio XI. in sequenti Propositione, quæ inter damnatas 32. est, ita fonans: Non solum licitum est defendere defensionem occisivam, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speremus.

Resp. IV. Pariter condemnatum est dicere: Licitum est tam Heredi, quam Legatario contra iniuste impediendum, ne vel hereditas adeatur, vel legata solvantur se taliter (id est defensione occisiva) defendere: sicut et jus habenti in Cathedrali, vel Præbendam contra earum possessionem iniuste impediendum. Rationem multiplicem, & fundamenta utriusque Conclusionis, iustique damnationis harum propositionum, vide apud Theologos, præsertim illos,

illos, qui in propositionibus damnatas scripserunt.

243 Queritur III. Utrum liceat etiam pro necessaria defensione honoris, & famæ occidere? Resp. Quamvis multi Doctores, inter quos est Tanner. Tom. 3. Disp. 4. q. 8. n. 73. Suarez de Censuris. disp. 46. sect. 1. n. 5. & 6. affirmant, eò quod pro necessaria defensione bonorum fortunæ id liceat, juxta dicta à n. 138. consequenter à minore ad Majus pro necessaria defensione bonorum famæ, & honoris, utpote quæ longè majoris & præstantioris sunt ordinis, quàm bona fortunæ, vitæque magis æquiparentur, quàm ista, adeò ut vir honestus plùs metuat gravem jacturam famæ & honoris, quàm vitæ, l. isti. §. 8. §. penult. ff. quod metus causa ibi: Cum viris bonis iste metus major, quàm mortis esse debet. Nihilò minus cautissime in usu hujus doctrinæ procedendum; cum rarissime deur casus, in quo pro defensione famæ & honoris liceat occidere, eò quod ordinarie loquendo vel fama & honor alia via salvari queat, sicque occisio non fiat servato moderamine inculpate tutelae, vel hujusmodi occisio vindictam speret: vel si passim concederetur, in perniciem Republicæ rediret, uti videre est apud Theologos scribentes in propositionibus damnatas: inter quas ad propositum etiam sunt sequentes, quarum damnatio id, quod hic dicimus, confirmat: Imprimis illa, quam allegavimus n. 140.

244 Deinde damnata ab Alexandro VII. ordine 17. sic fonans: Est licitum Religioso, vel Clerico Calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minitatem occidere, quando alius modus se defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur, uti si Calumniator sit paratus, vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni, publice vel coram gravissimis viris prædicam impingere, nisi occidatur.

245 Item illa ordine 30. damnata ab Innocentio XI. Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nixit calumniam inferre, si aliter hac calunnia vitari nequit: Idque quoque dicendum, si qui impingat alamp, vel fuste percutiat, & post impactum alamp, vel istum fustis hostem fugit.

246 Queritur IV. An, & quando irregularitatem contrahat, qui pro iusta defensione vitæ, membrorum, vel bonorum famæ, honoris, vel fortunæ proximum occidit? Resp. I. Qui servato moderamine inculpate tutelae ob necessariam defensionem propriæ vitæ, aut membrorum iniustum occidit invasorem, non tantum à culpa sed etiam ab irregularitate, omnique alia pœna immunis est. Covarruvius in Clement. un. h. t. p. 3. §. un. n. 1. Castro Palao de Censuris. disp. 6. pun. 8. n. 1. Suarez de Censuris. disp. 46. sect. 1. n. 4. Barbosa in cit. Clem. un. h. t. a. n. 11. Navarrus in Man. cap. 27. n. 207. Et 212. Pithing h. t. n. 77. Cum communi, & hodie certè aliorum arg. cit. Clem. un. h. t. ubi dicitur, illum non incurere irregularitatem, qui mortem aliter vitare non valens, suam occidit, vel mutilat invasorem. Ratio est; quia talis non incurrit irregularitatem ex delicto; cum tale homicidium careat omni culpa per dicta supra n. 130. nec ex defectu lenitatis, quia hic non intervenit, ubi cædes ex necessaria defensione fit; ergo.

247 Dices can. de his. 6. Et can. si quis. 8. dist. 50. expressè statutum habetur, etiam illos, qui pro sui defensione alium occidunt, ab ordine repelli, consequenter irregulares esse; & in Concil. Trident. Sess. 14. de Reformat. cap. 7. Ordinario loci committitur dispensatio cum illo, qui etiam vim vi repellendo, suum occidit invasorem; ergo Conclusio non subsistit. Resp. Canonis antiquos loqui de illis, qui non servato moderamine inculpate tutelae occidunt, uti bene observat communiter re-

cepta Glossa fin. in cit. can. de his, & in can. si quis. v. dispensatione. Pariter Concilium Tridentinum loqui censetur de illis præcisè, qui vim vi repellentes excedunt moderamen inculpate tutelae, ut cum Communi aliorum bene observat Suarez loc. cit. n. 3. Barbosa de Offic. Episcopi. ff. de iust. delegati. 30. n. 54. Pithing h. t. nu. 77. allegans pro hoc Declarationem Cardinalium. Ratio etiam responsonis utriusque est: Tum quia, ut colligitur ex textu Clem. un. h. t. non inducitur Jus novum, sed potius declaratur antiquum: Tum quia P. P. Concilii Tridentini non videntur voluisse corrigere, & revocare Jus antiquum à Clemente V. declaratum, & novam irregularitatem inducere.

Dicitur tamen notanter, qui servato moderamine inculpate tutelae, eum enim qui dicto moderamine non servato occidit, irregularem esse, omnes fatentur. Probatum tam ex Juribus num. præced. citatis: tum ex cit. Clem. un. h. t. ubi ab irregularitate solum excipitur, qui mortem aliter vitare non valens, consequenter qui servato moderamine inculpate tutelae occidit; ergo à sensu contrario, qui aliter vitam servare valens, consequenter qui moderamen inculpate tutelae excedens irregularis est. Poterò quando quis censatur servare, aut excedere moderamen inculpate tutelae, habes supra à n. 132.

At Controversia non modica est inter Doctores, num moderamen inculpate tutelae excedere, consequenter irregularitatem contrahere videatur, vel iniustum invasorem occidit casu, quo fugà salvare se potest. Et quidem Abbas in c. Olim. il. I. de Restitut. spoliat. n. 28. Sylvester v. Excommunicatio 6. q. 9. Navarrus cap. 27. num. 211. Barbosa in Clement. un. h. t. n. 23. cum Glossa ibid. v. Non valens, communiter receptè absolute volunt, talem esse irregularem, eò quod cit. Clem. solummodo illum excipit, qui mortem aliter vitare non valens occidit, qualis non est, qui fugà salvare se potest.

Covarruvius eontrà in cit. Clem. p. 3. §. un. n. 1. 150. Et 4. Suarez de Censuris. disp. 46. sect. 1. n. 5. Bonacina de Censuris. disp. 7. q. 4. pun. 6. n. 4. Castro Palao de Censuris. disp. 6. pun. 8. n. 5. Petrus Navarrus lib. 2. de Restitut. cap. 3. nu. 418. & alii distinctione utuntur docendo, illos, qui sine gravi infamia, dedecore, aut honoris jacturà fugere, fugiendoque vitam, & membra salvare possunt, uti Clerici, Religiosi, plebei, ignoti; item Nobiles, si aggressio de nocte, vel ita in occulto fit, ut fuga lateat, consequenter exinde etiam tantum in fama & honore nullam patiatur gravem jacturam, omnino incurere irregularitatem ob fundamentum supra num. præced. allegatum.

Illos verò, quibus fuga esset multum ignominiosissima, famæque & honori graviter præjudicialia, uti sunt milites, præsertim Officiales, & belli Duces, item viri Nobiles læculares, irregularitatem non incurere, si iniustam aggressorem occidunt, vel mutilent, etiam hujusmodi ignominiosità fugà vitam & membra sua salvare possunt. Ratio est: Tum quia fama & honor æquiparantur vitæ, arg. l. Iusta causa. 9. ff. de Manumiss. vindicta; imò subinde præsertim apud viros Nobiles præfertur, l. isti. §. n. 2. ff. Quod metus causa, ibi: Cum viris bonis iste metus major, quàm mortis esse debet. Tum quia hujusmodi homicidium non est absolute voluntarium, sed quodammodo necessarium, & inevitabile ad avertendam gravem ignominiam, gravemque jacturam famæ & honoris, vitæ comparatæ: consequenter ob paritatem rationis ab irregularitate vi Clem. un. h. t. immunis, sicut ob rationis paritatem ab eadem irregularitate immunis est, qui servato moderamine occidit invasorem ebrium, est

est in dicta Clement. solus furiosus expressus sit. Palao hoc. cit. Ex per hoc patet fundamentum contrarium n. 148. adductum; quia videlicet in tali casu quis mortem, vel morti æquivalens, eamque superans gravem nempe ignominiam, graviterque præjudicium famæ, & honoris jacturam vitare non valet.

151 Alia controversia ad propositum de casu, quo quis contumeliosis verbis, alapa, adulterio uxoris, vel aliâ injuriâ alium injuste afficit, indeque eum ita irritat, ut injuriantem occidere nitatur: Controversia, inquam, est, num talem necare intendentem occidens, si irregularis? Ad quam Sylvester y. homicidium. g. q. 8. Sotus lib. 5. de Justit. q. 1. art. 9. & alii negativè respondent; nisi talis præcedente suâ injuriâ inferendâ, hujusmodi homicidii periculum prævideret. Ratio est; quia etsi quis male agat, si alium injuriis verbis, alapa &c. ad iram & vindictam irritet, & culpabilis causa illius sit; tamen exinde nullum tributur jus alteri propriâ auctoritate lethaliter se vindicandi, & mortem intendendi; quare si eam nihilo minus attentat, injustus aggressor vitæ est; consequenter servato moderamine inculpate tutelæ abique irregularitatis notâ occidit potest, per Jura supra n. 145. allegata.

152 Rectè tamen post Palao notat Suarez; & Coninch, quòd si in tali casu prius injurians fugere, & fugiendo vitam salvare potest, teneatur; quia ei tam ignominiosum non est, fugere iram illius, quem injuste prius irritavit.

153 Dicitur autem notanter n. 151. Nisi talis ex præcedente suâ injuriâ inferendâ hujusmodi homicidii periculum prævideret; quia in tali casu occidentem esse irregularem, bene docet Gutierrez Can. q. 19. lib. 2. cap. 6. n. 43. Molina de J. & J. Tract. 3. disp. 72. n. 5. Ratio est; quia licet tale homicidium non sit injustum directè ex ratione defensionis, est tamen injustum indirectè, & in causa, ac propterea irregularitatis subiectum, sicut homicidium casuale illicitum in causa per dicenda infra.

154 Resp. II. Sicut qui ob propriæ, ita etiam, qui ob alterius innocentis vitæ, & membrorum necessarium defensionem servato moderamine inculpate tutelæ occidit injustum aggressorem, ab irregularitate immunis est. Covarruvias in cit. Clement. un. h. t. p. 3. §. un. n. 5. Barbosa in eadem n. 19. Clarus y. Homicidium n. 27. §. 28. Suarez de Censuris. disp. 46. sect. 3. n. 2. §. 3. Garcia de Beneficiis. p. 7. c. 11. n. 53. in fine. Piching h. t. n. 81. contra Sylvestrum, Abbatem, & alios. Ratio est; quia homicidium licitum non inducit irregularitatem, nisi ex defectu lenitatis & mansuetudinis; atque hic non intervenit in homicidio, quòd committitur in defendendo innocentem proximum contra injustum aggressorem, cum non sit voluntarium, sed necessarium, utpote ex charitate, ac subinde etiam ex justitia debitum; ergo.

155 Dices: Etiam Judex, & reliqui Ministri justitiæ necessariò, utpote juxta præceptum legis, & ex debito justitiæ occidunt Malefactorem, & tamen defectum lenitatis, ac mansuetudinis Christi habere, indeque irregulares esse censentur. Ergo etiam à defectu lenitatis, consequenter ab irregularitate non excusatur, qui pro defensione proximi, alium necessariò occidit. Respondetur negando paritatem inter hunc, & Judices, aliosque Ministros justitiæ; quia licet hi, postquam Officium, quo funguntur, assumpservunt, necessariò occidant, tamen homicidium eorum dicitur adhuc voluntarium in causa, consequenter defectui lenitatis subiectum, quia tale Officium sponte, & voluntariè, vel saltem non ita coactè susceperunt, ut sine peccato mortali pro necessaria defensione innocentis moraliter ita

necessariò committitur, ut, qui sine suo periculo, & gravi incommodo defendere potest sine peccato declinare non valeat; consequenter ab omni defectu lenitatis immunis merito censetur.

Urgebis Clem. un. h. t. illi tantum Homicide ab irregularitate excusantur, qui pro necessaria defensione propriæ vitæ injustum aggressorem occidunt, ibi: Qui mortem alteri vitare non valet occidit &c. Resp. Per hunc textum non excludi defensionem vitæ alterius, eò quòd Papa ibid. non condât Jus novum, sed præcisè declarat antiquum circa casum sæpius occurrentem, reliquos calus relinquens prædenti opinioni Doctorum. Avila de Censuris, disp. 5. sect. 3. dub. 5.

Quartur V. An irregularitatem contrahat, qui servato moderamine inculpate tutelæ occidit proximum pro defensione bonorum temporalium? Quamvis plures graves Doctores, ut Navarrus Manual. cap. 17. nu. 213. Sylvest. v. Homicidium. 2. q. 16. n. 11. Abbas in c. 2. h. t. n. 2. & ibi Glossa communiter recepta (quam tanquam probabiliorum in hoc etiam secuti sumus in Theologia nostra Morali Tract. 13. disp. 3. q. 4. n. 65. Tum ob fundamenta ibid. allegata: Tum ob Jura, & rationes infra à n. 159. allegandas) velint, quòd, etsi subinde liceat servato moderamine inculpate tutelæ pro conservandis magni momenti rebus temporalibus injustum in vasorem occidere, tamen ita occidens semper irregularis sit per rationes, & Jura infra à n. 159. adducenda. Nihilominus

Resp. II. Probabilis quoque, & in praxi tutâ videtur sententia dicens, quandocumque quis licitè occidit proximum pro defensione bonorum temporalium juxta dicta num. 138. ab irregularitate immunis est. Ita Doctores supra num. 138. citati, cum quibus etiam sentit Barbosa in Clem. un. h. t. nu. 20. §. in c. 2. h. t. n. 4. Piching h. t. n. 86. Sotus lib. 5. de Justit. q. 1. art. 8. Sayrus lib. 6. cap. 17. nu. 22. & alii. Ratio Conclusionis est; quia taliter occidens, nec ex delicto, nec ex defectu lenitatis est irregularis. Non ex delicto, quia ut supponitur ex dictis, & fatetur plures hujus Conclusionis Adversarii, tale homicidium est licitum: Nec ex defectu lenitatis, tum quia defectus lenitatis in illis duntaxat esse censetur, qui ex auctoritate publicâ, non qui privatâ licitè occidunt. Palao de Censuris. disp. 6. pun. 15. §. 8. n. 7. Tum quia tale homicidium non omnino voluntarium, ac per se intentum est, cum sola rerum defensio principaliter intendatur, cædentes verò per accidens sequi censentur, quippe ad quam occisor moraliter cogitur pro rebus suis tuendis, ut proin non tam occisio voluntaria, quam necessaria defensio sit; ubi autem ita necessariò, & non sponte homicidium privatâ auctoritate committitur, defectus lenitatis, & omnis poena Canonica abesse censetur, prout jam dictum est supra, ac etiam demonstratur ex can. quia te. 28. dist. 50. ubi ad casum, quo Episcopus pro tuenda sua libertate (non vitâ) aliquos occidit, respondet Papa: Sed quoniam non tuâ sponte id fecisse cognoscitur, inde Canonice nullo modo judicari.

Contra hanc Conclusionem objiciunt Adversarii varios Juris textus, & imprimis quidem Clem. un. h. t. ubi ille duntaxat ab irregularitate immunis declaratur, qui ob defensionem vitæ occidit.

Secundò c. 2. h. t. ubi ab irregularitate excusatur, qui se, suaque defendit; ergo qui non se, seu propriam personam, & vitam, sed sua tantum occidendo defendit, irregularis est.

Tertio c. Perfidens. eod. ubi habetur furem nocturnum, non item diurnum (nisi telo se defendat) impunè occidit posse; quia de die constare potest, furem præcisè ad furandum, non ad occidendum venisse,

venisse; quibus verbis satis indicatur, pro sola defendenda vita, non item pro rebus licitè occidit posse.

162 Quarto c. Suscepimus. 10. h. t. ubi latronem furantem occidens irregularis declaratur, additâ ratione contra Conclusionem militante: Quoniam expediebat potius post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam, quàm pro conservandis vitibus, & transitoris tam acriter in illos exardescere &c. Constat eos contra mansuetudinem Ecclesiasticam interemptos.

163 Quintò c. Significasti. 18. h. t. Ubi Clericus latronem pro defensione rerum Ecclesiæ percutionis irregularis pronuntiatur, si vulnus fuit lethale.

164 Addunt insuper rationem Conclusioni nostræ adversam, videlicet; quia exigente lege, & ordine charitatis vita proximi præterenda est rebus nostris temporalibus, adeò, ut etsi subinde sine delicto, nunquam tamen sine defectu lenitatis propter has conservandas injustus aggressor occidit valeat.

165 Verùm nec textus allegati, nec ratio addita efficaciter militare videntur contra Conclusionem nostram n. 158. positam, uti ex singulorum solutione patebit. Nam ad primum respondetur, exinde quòd Clementina solum excipiat occisionem alterius ob defensionem propriæ vitæ, non sequitur, occidentes pro necessaria bonorum defensione irregulares esse; ut patet ex dictis num. 154. Quibus accedit, quòd hoc argumentum probaret nimium, videlicet, etiam illum esse irregularem, qui ad evitandam mutilationem alium occidit, vel servato moderamine inculpate tutelæ occidit ebrium aggressorem.

166 Ad secundum respondetur, dictionem §. in c. interfecti h. t. sumi pro dictione vel, ita ut sensus sit, qui ut se, vel sua defendat, occidit aggressorem, ab irregularitate immunis est; quia aliàs, qui se tantummodo, seu propriam personam atque vitam, & non simul bona occidendo defenderet, irregularis esset: Prout non rarò in Jure dicto §. pro vel, & copulativa pro disjunctivis, si materia exigat, accipiuntur, arg. c. verum. 15. de Jurisjur. l. Sept. 53. ff. de V. J. ibi: Septe ita comparatum est, ut conjuncta pro disjunctis accipiuntur, & disjuncta pro conjunctis.

167 Ad tertium respondetur, c. Perfidens. h. t. plus pro, quam contra Conclusionem militare, hoc ipso enim, quòd concedat, furem etiam diurnum occidit posse, si telo se defendat, seu efficaciter resistat, ne à furandis rebus impediatur, manifestè concedit, pro conservandis rebus suis occidit posse furem, si aliter conservari nequeat; cur autem Papa ibidem allegando leges faciat distinctionem inter furem nocturnum & diurnum, illumque non item istum absolutè & indistinctè occidere permittat, ratio est; quia regulariter loquendo, fur nocturnus sine periculo arceri à furto nequit, nisi occidatur; cum non videatur, nec sciatur, qualiter in fructus veniat: adeoque præsumptio est pro occidente, quòd servato moderamine inculpate tutelæ pro conservatione rerum suarum occiderit. E contra verò diurnus fur, cum regulariter loquendo facile videri & cognosci valeat, ac sine occasione à furto impediti, resque conservari, aut recuperari valeant, interficiens illum non præsumitur, sed probari debet, se aliter furtum impedire non potuisse; quòd sufficienter præstat, si probatur, aut aliàs constat, furem telo, id est, quocumque armorum genere, vel defensionis instrumento (nam ut bene advertit Glossa in cit. c. Perfidens. h. t. §. Telo. Telorum nomine etiam lapides & fistes intelligi, l. Si pignore §. Furem. ff. de Fur. ferrum: item

& omne quod arci, vel manu mittitur, §. Item. Lex Cornelia. Instit. de Public. Judic.) se, ne à furto impediatur, defendat: Quamvis in Foro incerto securus sit, si verè abique occasione res suas magni momenti conservare non potuit, etsi pro Foro externo id probare non valeat.

Ad quartum respondetur, Clericum illum in c. 162 Suscepimus h. t. irregularem fuisse declaratum, ob non servatum moderamine inculpate tutelæ, uti colligitur ex y. Exardescere, & reliquo textu, quo constat, quòd Monachus ille occiderit latrones in custodia detentos, postquam res furtivæ jam fure recuperatæ, & sine ullo periculo aliò transferri, & conservari potuissent, antequàm latrones solverentur, uti cum aliis bene advertit Covarruvias loc. cit.

Ad quintum respondetur, etiam illum Clericum in cit. c. Significasti. expressè excessivè moderamine inculpate tutelæ, uti patet tum ex fine hujus c. Tum ex eo, quòd clamando, & implorando aliorum auxilium furtum impedire, & res Ecclesiæ servare potuisset, cum Parochiani statim adfuerint, & succurrerint.

Ad argumentum ex ratione desumptum respondetur, ex lege & ordine charitatis tunc solummodo non teneri præferre vitam proximi bonis nostris temporalibus, quando proximus versatur in extrema, & quasi extrema necessitate; minime verò quando proximus abique tali necessitate res nostras liberè & malitiosè auterret attentat. Nam si in tali casu vim vi repellere, & ubi opus est, pro conservandis rebus nostris, servato moderamine inculpate tutelæ, injustum aggressorem occidere non liceret, furibus & latronibus ampla præberetur anfa & occasio, quemlibet videndum, & rebus suis spoliandi, prout supra jam dictum est.

Ex quibus omnibus patet, nec Canones, nec rationem adversarii Conclusioni nostræ n. 158. positæ. Quæ etiam confirmatur ex doctrina adversariorum fatentium, eam, qui servato moderamine inculpate tutelæ pro defensione bonorum temporalium occidit iniquum aggressorem, nullum quidem peccatum, tamen defectum lenitatis committere, indeque irregularitatem incurere. Nam contra est, quòd secundum graves Doctores homicidia privata non nisi ex delicto irregularitatem inducant, cum lenitatis defectus solis illis, qui auctoritate publicâ, Judices nempe, & Ministri justitiæ, ac milites occidunt, imputetur; consequenter, si occidens iniquum aggressorem rerum nec peccat, & ex delicto irregularis non fit, multò minus ex defectu lenitatis talis evadet; prout post Covarruviam in cit. Clem. un. h. t. p. 3. §. un. n. 5. & communem aliorum bene advertit Calto Palao de Censuris. Disp. 6. pun. 15. n. 9. tradens universalem; Quicunque privatâ auctoritate licitè occidit, irregularis non est.

Resp. III. Sicut juxta dicta supra servato moderamine inculpate tutelæ licitum est non tantum pro defendendis propriis, sed etiam alienis rebus occidere iniquum aggressorem; sic etiam ab irregularitate immunis est, tam qui proximi, quam si suas res defendit, ut bene docent Doctores citati, ob rationes ibidem allegatas. Quibus accedit Regula universalis num. præced. posita.

Et procedunt hæcenus dicta non tantum de Laycis, sed etiam Clericis iniquum aggressorem vitæ, vel membrorum, vel rerum suarum, sive proximi servato moderamine inculpate tutelæ occidentibus, ita ut ab irregularitate & omni aliâ poena immunes sint, ut cum aliis bene advertit Piching h. t. n. 91. patet ex c. Olim. 12. de Restitut. Spoilias. & ex c. Dilecto §. de Sentent. Excom. in 6. nec

non ex responsione ad Canones a n. 159. allegatos, ex quibus quidam Doctores contrarium probare conantur. Accedit, quod vim vi repellere Jus nature concedat, consequenter etiam Clericis competat.

174 Resp. IV. Quicumque in casu aliquo pro necessaria defensione fama & honoris licite occidit invadentem, in eodem immunitus erit ab irregularitate. Patet Conclusio a pari, vel a majori ad minus, ex dictis a num. 158. Et seqq. An autem, & quando liceat pro defensione fame & honoris occidere, vide dicta n. 143. & 144. ubi colliges, quod, sicut ordinarie loquendo illicitum, ita etiam ordinarie loquendo irregularitati subiectum sit homicidium pro pretenfa defensione fame & honoris commissum, si excipias casum, de quo supra n. 150.

§. V.

De Homicidio Casuali, & Irregularitate inde proveniente, aliisque poenis illius.

SUMMARIUM.

- 175 Homicidium Casuale quid? Et quotuplex?
- 176 Ex Homicidio mere Casuali, ex opere licito secuto, nulla incurritur irregularitas, nec alia Juris poena.
- 177 Adducuntur pro praxi varii casus.
- 178 Et assignatur ratio.
- 179 Varius quoque amens, Et infans occidens aliquem ab irregularitate immunitus est.
- 180 Quid de ebrio sentiendum? Remissive.
- 181 Homicidium Casuale ex opere licito qui committit, irregularis est, si ex culpa gravi omittit debitam diligentiam cavendi mortem, aut mutilationem.
- 182 Magistri in corrigendis Discipulis sunt irregulares, si ex gravi eorum excessu mors Et mutilatio sequitur.
- Castigatio levis duntaxat, non excessivi gravis permessa est Magistris. Ibid.
- 183 Homicidium Casuale praefato modo commissum, quod inducat irregularitatem, probatur ulterius ex iure.
- 184 Et ratione.
- 185 Inducit etiam de Jure Civili poenam, non quidem ordinariam, sed extraordinariam.
- 186 Secundum aliquos etiam levis culpa in vitanda morte alterius Casuali sufficit ad irregularitatem.
- 187 Sed probabilis requiritur culpa gravis.
- 188 Ratio hujus assignatur.
- 189 Et solvitur Obiectio.
- 190 In actionibus licitis, in quibus prorsus nullum mortis periculum annexum habentibus, nulla est obligatio adhibendi specialem diligentiam de cavenda morte alterius.
- 191 Homicidium Casuale ex opere illicito secutum semper inducere irregularitatem volunt plures.
- 192 Idque probatur ratione.
- 193 Et Jure.
- 194 Alii vero volunt, ex illo nunquam oriri irregularitatem, si debita diligentia cavendi mortem adhibetur.
- 195 Probabilis cum distinctione docetur, videlicet tale homicidium inducere irregularitatem, si actio illicita ex se Et natura sua inducens, Et annexum habens mortis, aut mutilationis periculum.
- 196 Si vero actio illicita, ex qua Homicidium Casuale sequitur, tale periculum ex se non inducit,

- irregularitas non contrahatur.
- 197 Quod probatur etiam, remissive.
- 198 Et solvuntur objectiones contra hanc secundam partem distinctionis, usque ad n. 200.
- 200 Clerici Medicinam, Et Chirurgiam exercentes sunt irregulares, si mors inde casualiter sequitur.
- 201 Non item si mere casualiter sequitur ex ipsorum venatione.
- 202 Homicidium Casuale ex opere illicito quando inducit irregularitatem, etiam alias saltem extraordinarias Juris poenas secum trahit.
- 203 Requiritur autem culpa gravis in omittenda diligentia cavendi mortem ex opere illicito nullum mortis periculum secum habente.
- 204 Homicidium, quod quis in ebrietate usum rationis non adimente committit, irregularitatem inducit.
- 205 Commisum autem in ebrietate usum rationis adimente irregularitatem non facit.
- 206 Etiam si voluntarie Et gravi cum culpa se quis inebriet.
- 207 Duntaxat Homicidium prius non intendat, nec praevideat, nec rationabiliter praevidere possit.
- 208 Sicut ab irregularitate, ita etiam ab aliis Juris poenis immunitus est, homicidium in ebrietate usum rationis adimente committens.
- 209 Ipsi voluntarie se inebriet.
- 210 Quavis huic specialia statuta, & consuetudines locorum poenam saltem extraordinariam infligant.
- 211 Qui ab experientia scit, se in ebrietate homines periculosos invadere, irregularis est.
- 212 Et alias, non tamen ordinariam, Juris poenas incurrit, morte vel mutilatione secuta.
- 213 Solvitur Obiectio.
- Culpa lata an, Et quando aequiparetur dolo? Ibid.

Quid & quotuplex sit Homicidium Casuale, patet ex dictis supra n. 4. Et 15. Hic solum praenotandum, Homicidium Casuale contingere, indeque irregularitatem consequere posse tam ex opere licito, quam illicito. Hinc pro majori claritate distinctas instituemus de his quaestiones.

Queritur I. An, & quando Homicidium Casuale ex opere, vel actione licita secutum inducat irregularitatem, vel alias Juris poenas? Resp. I. Ex Homicidio mere Casuali, quod ex opere licito abique ulla culpa, & dolo committitur, & ad quod evitandum debita diligentia fuit adhibita, ita ut mere casualiter, & fortuito contingat, nulla inducitur irregularitas, nullaque alia contrahitur poena sive Canonica, sive Civilis. Communis & certa, arg. l. item Mela. 9. §. 4. l. Si putator, in fine, ff. ad Leg. Aquil. l. 1. Et l. Eum qui §. C. ad Leg. Cornel. de Sicar. Quibus consonat Constit. Carolin. art. 146. Et extant pro hac Conclusione varii expressi Canones, uti c. Lator. 9. c. Dilectus. 13. c. Ex litteris. 14. c. Ex litteris. 15. c. Significasti. 16. c. Exhibita. 22. c. Joannes. 23. c. Quidam. h. t. 24. Ubi ad varios hujusmodi casus, in quibus ex opere licito abique omni culpa homicidium Casuale contingit, & exinde nullam irregularitatem contractam esse narratur.

Uti si v. g. quis debita cautela adhibita ex charitate, aut officio levet aegrotum, & is per hoc extinguitur: vel si quis ex praescripto Medici praebet pharmacum, quod ei mortem avertit: vel etiam si quis non Clericus, aliud est de Clerico juxta dicenda infra n. 200. (aliqui praebet Medicinam aliis factis salubrem, & experientia comprobatam, quae sumentem necat: vel si duo, aut plures, loco & tempore debito, pila, conis, jaculatione, aut alio honesto lusu se distrahunt, & unus eorum fortuito percipit,

- percutitur, aut traicitur: vel si, dum quis campanam pulsat, pistillum decidens praetereuntem interficit: vel si quis equitat, & equum forsitan terrefactum, indeque ferocem effectum cohibere non valens, praetereuntem equo conculcat, & occidit: vel si quis ab alto trabem, vel lapidem proficiens praetereuntem enecat, postquam prius prospexit, & neminem vidit, aut prius fatis clamavit, ut inferius existentes sibi caveverent &c. Per Jura allegata.
- 178 Ratio est: Tum quia tale mere Casuale Homicidium nec directe, nec indirecte est voluntarium, consequenter poenis non imputandum; unde bene dicit Papa c. Dilectus 13. h. t. in fine: Cuius Capellanus (qui equum cohibere non valens, occidit mulierem) nec voluntate, nec actu homicidium perpetravit, nec dedit operam illicita rei, non impediens, quo minus divina possit officia celebrare.
- 179 Patet si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mactet, vel occidat, nullam ex his irregularitatem incurrit; Clem. un. h. t. Ratio est; quia hi omnes ratione, ac propterea etiam culpa carent in suis actionibus; consequenter ab omni irregularitate immunes sunt.
- 180 Num autem ebrius quoque utpote usu rationis pauciter carens ab irregularitate liber sit, si tempore ebrietatis aliquem occidat, dicitur infra n. 205.
- 181 Resp. II. Homicidium Casuale ex opere licito secutum irregularitatem, & alias saltem extraordinarias Juris poenas inducit, si tale opus exercens negligentiam, & culpam latam Theologicam committit in vitando mortis seu homicidii periculo. Rursus communis & certa, arg. c. Presbyterum. 7. h. t. Ubi Presbyter ex eo, quod puerum intuitu disciplinae in capite percussit, & is inde interierit, pro excommunicato habetur; Ratio est; quia licet intentio corrigendi, & ipsa correctio sit opus licitum, quia tamen Presbyter modum excessit, & percutiendo periculosam partem corporis, caput videlicet, debitam diligentiam cavendi mortem non adhibuit, merito irregularis censetur. Concordat c. in h. t. in 6.
- 182 Hinc universaliter inferunt Doctores, quod Magistri in castigandis discipulis nimium excedentes semper reputandi sint pro irregularibus, si mors, aut mutilatio inde sequatur; praeterquam cum levis duntaxat castigatio sit permessa Magistris, l. sed etsi. §. ult. ff. ad Leg. Aquil. ibi: Quia levis duntaxat castigatio concessa est docenti: sed lege Aquilia posse agi, non dubio. & l. sequenti, ff. eod. ibi: Praeceptoris enim nimia severitas culpa assignatur.
- 183 Confirmatur Conclusio ex c. Continebatur 8. h. t. ubi Clericus pronuntiatur irregularis ex eo, quod quod saltem non removerit a tergo, in quod alter more patrie insiliens lethaliter fuit vulneratus. Ratio est; quia dum Clericus ille sciret, victores in lusu, more regionis insilire in dorsum victi, utique culpabiliter egit, & debitam diligentiam cavendi mortis periculum non adhibuit, dum saltem a tergo suo non amovit, licet alius licitum sit a tergo suo habere. Hinc c. Presbyterum. 7. h. t. Summarium universali- ter habet: Homicidium casuale imputatur ei, qui dabit operam rei licite, si non adhibuit diligentiam, quam debuit: quod idem repetitur in Summario c. Continebatur. 8. eod.
- 184 Ratio autem Conclusionis est; quia si quis in suis etiam licitis actionibus, ex quibus sequi potest proximi mors, pro ea praevadenda, & vitanda, debitam ex gravi culpa omittit diligentiam & cautelam, censetur mortem illius saltem indirecte velle, consequenter homicidii, & poenarum illius reus esse.
- 185 Hinc licet Homicidium Casuale etiam culpa lata ut supra commissum, non inducat poenam ordinariam ultimi supplicii, l. quod actione. 7. ad Leg. Reiffenstel Jus Can. Tom. V.

Aquil. de Sicar. tamen poena extraordinaria juxta facti & personarum qualitates propterea indigitur, arg. l. 4. §. 1. ff. ad Leg. Cornel. de Sicar. & l. Eum qui §. C. eod. juncta constitutione Caroli V. art. 146. & datur iis, quorum interest, hominem occisum esse, veluti conjugii, liberis, sociis &c. Actio ex lege Aquilia prout amplius in Tit. de injur. & damno dato.

Ceterum notanter dicitur in Conclusione n. 181. 186 posita, saltem si commisit culpam Theologicam, omit- tendo debitam diligentiam in vitanda proximi mortis, & periculo illius. Quia num etiam irregularitatem, & alias Juris poenas inducat Homicidium Casuale ob culpam levem in illo vitando, ex opere alias licito secutum, controversa satis magna est inter Doctores, quorum aliqui, ut Navarrus in Clem. un. h. t. p. 2. §. 4. n. 8. Cajetanus §. irregularitas, Et alii cum Glossa in c. Significasti 6. h. t. §. Scivisset, volunt sufficere etiam levem culpam, arg. c. Presbyterum. 7. Et c. Continebatur. 8. h. t. Ubi non nisi levis culpa intervenisse videtur, & tamen eam committentes declarantur irregulares.

Eccontra Castro Palao de Censuris Disp. 6. pum. 15. 187. §. 4. n. 1. Navarrus cap. 27. n. 251. Gonzalez in c. de Cetero. 11. h. t. a n. 1. Suarez de Censuris. Disp. 47. sect. 5. n. 8. Pfingling h. t. n. 63. cum communiori & probabiliori aliorum, quam & nos amplectimur, dicunt, requiri latam & gravem culpam latam ad incurrendam irregularitatem, arg. c. quaestum. de Penitent. Et Remissive, ubi pater sufficiens filium secum in eodem lecto dormientem irregularis declaratur, si ipso voluntarie procurante, vel studiose negligente suffocatio contingit, quod utique gravem culpam denotat: Et ex c. Exhibita. 22. h. t. ubi ab irregularitate Papa excolat Clericum ex eo, quod lesanus non habuerit conscientiam, utique graviter; quia leviter ibidem deliquisse Clericum, in cavenda morte alterius, satis ex facto ibidem relato patet.

Ratio autem hujus doctrinae est; quia cum Jura circa qualitatem culpae expressis non statuerint, merito benignior sententia est amplectenda, arg. c. in panis. de Reg. Jur. in 6. & l. semper. ff. eod. praeter- tim quia irregularitas ex Homicidio Casuali culpa- bili imponitur ob culpam, quae debet esse propor- tionata poenae, quae utique est gravissima. Quare in foro conscientiae securissima est sententia, ita, ut qui in vitando aut praevadendo Homicidio Casuali moraliter se reum non esse agnovit, pro irregulari se habere non tenatur.

Nec contrarium evincitur ex cit. c. 7. Et 8. h. t. 189. quia ibidem graviter deliquisse ex facto, & textu bene deducunt Doctores n. 187. citati.

Ceterum dicta circa obligationem etiam in licitis actionibus adhibendi debitam diligentiam vitandi mortem alterius, intellige de illis actionibus, quae annexum habent aliquod mortis periculum; Qui in actionibus, quae prorsus nullum secum habent mortis periculum, nulla specialis diligentia, vel cautela requiritur, hoc ipso, quod in tali actione nemo de periculo cogitat, consequenter homicidium, si quod exinde contingit, mere casualiter & fortuito contigisse, merito semper praesumatur.

Queritur II. An, & quando Homicidium Casuale ex opere illicito secutum inducat irregularitatem, & alias Juris poenas? Ante responsum notandum, rursus magnam esse Controverfiam inter Doctores. Alioqui enim, inter quos est D. Thomas 2. 2. q. 64. art. 8. Innocentius in c. Tua nos. 19. h. t. Navarrus Manu. cap. 27. n. 220. Et seqq. Layman lib. 3. tr. 3. p. 3. n. 4. Fagnanus in c. ad audientiam. 12. h. t. n. 9. & alii, praeterquam antiquiores Canonice absolute & universaliter volunt, omnem illum, ex cujus opere illicito sequitur homicidium Casuale,

est irregularem, etiam si de illo vitando omnem adhibuerit diligentiam & cautelam. Idque probant ex c. Dilectus, 13. c. Joannes, 23. h. 1. ubi ab irregularitate excusatur Clericus, quod operam dederit relicta, & debitam adhibuerit diligentiam de Homicidio Casuali vitando: quod idem habetur in pluribus hujus Tituli capitibus: ergo a sensu contrario irregularitatem contrahit, qui rei illicitæ, ex qua homicidium Casuale sequitur, operam dat, etiam si omnem diligentiam de illo vitando adhibeat.

192 Rationem dant, videlicet, quia citius contrahitur irregularitas per Homicidium Casuale ex illicito, quam licito opere secutum, arg. cit. c. Dilectus, 13. c. Joannes, 23. h. 1. cum Concordantiis; quod verum non esset, si ex opere illicito secutum irregularitatem non induceret casu, quo illicito operans debitam diligentiam in eo vitando adhiberet.

193 Confirmant suam doctrinam ex c. Tua nos, 19. h. 1. c. Sententiam, 9. Ne Clerici, vel Monachi, ubi Clerici in facris constituti, & Monachi irregulares declarantur, si medicinam, vel Chirurgiam exercent, ex qua præter omnem opinionem mors sequatur, etiam si sint in arte periti, & omnem diligentiam de morte, & periculo illius vitando, idque nulla alia ex causa, quam quod dicitur Clericis & Monachis sit illicitum extra calum necessitatis Medicinam, aut Chirurgiam exercere. Glossa in cit. c. Tua nos, h. 1. v. Congruatur.

194 Alii econtrâ, pauci tamen, apud Suarez de Censuris, disp. 45. sect. 6. n. 4. absolute contrarium volunt dicentes, eum, qui dat operam rei illicitæ, ex qua Homicidium Casuale sequitur, non fieri irregularem, si ad illud vitandum debitam adhibuit diligentiam. Rationem dant; quia tale Homicidium non est voluntarium, consequenter eidem non imputandum. Tertiam sententiam, quam nos sequimur, dat conclusio sequens, qua

195 Resp. I. Ad questionem nu. 191. positam, qui dat operam tali rei illicitæ, quæ ex se, aut natura sua inducit periculum mortis, vel mutilationis, mortisque facile inductiva est, & præsertim, si propter eam etiam prohibita existit, irregularis efficitur, si ex ea Homicidium sequatur, etiam si ad illud vitandum, omnem diligentiam, & cautelam adhibuerit. Econtra verò si res, seu opus illicitum quidem, tamen ex se ita constitutum est, ut mortis aut mutilationis periculum non inducat, exercens illud irregularis non est, etiam si ex illo mors alterius casualiter, & fortuito sequatur, casu quo ad mortem evitandam, debitam diligentiam adhibuit, nisi in casibus à Jure specialiter expressis. Ita Covarruvias in Clem. un. h. 1. p. 2. §. 4. n. 10. Navarrus cap. 27. n. 121. Avila de Censuris, p. 7. Disp. 6. sect. 1. dub. 1. v. Sed est tertia opinio. Castro Palao de Censuris, Disp. 6. pun. 15. §. 4. n. 4. Suarez de Censuris, Disp. 45. sect. 6. n. 9. Sanch. lib. 9. de Matrimon. Disp. 32. n. 5. Pirhing h. 1. n. 65. & alii. Prima pars probatur tum ex SS. Canonibus, tum ex ratione à n. 191. allegata. Quibus accedit etiam hæc ratio, videlicet, quod, qui exercet opus ex se periculosum, & mortis inductivum, ac præsertim si propter eam prohibendum est, huic periculum, & mors seu homicidium censetur indirectè saltem, & in causa voluntarium; consequenter merito eidem imputatur ad culpam, & poenam; nec excusat ipsum diligentiam ad vitandam mortem adhibita; quia Jure presumitur, quod in similibus operibus diligentia sufficiens ad vitandam mortem, vel non adhibeatur, vel etiam adhibita non sufficiat.

196 Ratio secunda partis est; quia Homicidium Casuale ex simili actione illicita nec directè, nec indirectè seu in causa sicque nullo modo voluntarium est operanti, si debitam pro illo vitando diligentiam

adhibuit. Non est illi voluntarium directè, ut supra ponitur; nec indirectè, seu in sua causa; quia, uti pariter supponitur, talis actio ex se vel natura sua non est causativa periculi mortis, nec hanc faciliè inducens: Si autem Homicidium ex tali actione sequens operanti, nullo modo est voluntarium, eidem ad culpam imputandum non est; consequenter nec ad poenam imputandum; cum hæc in casu Homicidii Casualis non nisi propter culpam in Homicidio repertam imputetur.

Eandem hanc secundam partem Conclusionis habes Lib. 1. Tit. XX. à n. 32.

Nec huic secundæ parti Conclusionis obstant fundamenta à n. 191. adducta. Nam ad primum ex allegatis Canonibus adductum respondetur, in penalibus non valere argumentum a sensu contrario; præsertim in materia irregularitatis, utpote quæ non contrahitur nisi in casibus à Jure aperte expressis, c. Is qui de Sentent. Excomm. in 6. Quod si quis contendat, vi SS. Canonum omnes Homicidas universaliter esse irregulares, solis exceptis casibus, quibus Homicidium ex re licita sequitur, adhibita ad illud vitandum omni debi à diligentia, respondetur, Caneones illos universaliter loqui de Homicidii licitem aliquoties seu aliquo modo voluntariis, non item de involuntariis, arg. Clem. un. h. 1. qualis sunt, de quibus agit secunda pars Conclusionis.

Ad rationem respondetur, irregularitatem nihilo minus factis contrahi ob Homicidium ex illicita, quam licita actione secutum; quia dans operam rei licitæ presumitur, debitam diligentiam adhibuisse ad vitandum homicidium; econtra verò dans operam rei illicitæ, hæc presumptionem pro se non habet, sed probare debet, diligentiam à se non fuisse adhibita. Castro Palao cit. §. 4. n. 6.

Ad confirmationem respondetur, de Homicidii ex Chirurgia, vel Medicina à Clericis adhibita, esse speciale Jure dispositionem, vi ejus Clericis, in Sacris constitutis, & Monachis Chirurgiam exercere, & Medicinam aliis præbere non tantum est prohibendum, sed etiam expressè statutum, quod transgressores sint irregulares, prout amplius diximus Lib. III. Tit. fin. Ne Clerici, vel Monachi, à n. 16.

Inferitur, Clericum vacantem venationi, ex qua Casuale sequitur homicidium, non esse irregularem, si pro eo vitando debitam adhibuit diligentiam. Castro Palao de Censuris, disp. 6. pun. 15. §. 4. n. 7. Covarruvias in Clem. un. h. 1. p. 2. §. 4. n. 10. & alii. Ratio est; quia licet venatio Clericis sit prohibita & illicita c. 1. c. 2. de Cleric. venat. quia tamen venatio apud Peritos ex se non est periculosa, & mortis inductiva, homicidium ex ea fortuito secutum, irregularitatem non inducit.

Resp. II. Homicidium Casuale, ex opere illicito secutum, præter irregularitatem etiam alias Jure poenas, non quidem ordinarias ultimi supplicii, sed extraordinarias inducit, si tale opus ex se, vel natura sua inducit periculum mortis. Pater Conclusio tum ex dictis n. 195. Tum ex dicendis infra.

Cæterum ad hoc ut quis incurrat irregularitatem ob homicidium proveniens ex actione illicita, quæ ex se periculosa & mortis inductiva non est, requiritur, ut interveniat graviter peccaminosa omisit diligentia debite vitandi homicidium per fundamenta supra n. 187. allegata.

Queritur III. An, & quando homicidium in ebrietate commissum inducat irregularitatem, & alias Jure poenas? Ante responsum notandum, non esse hic questionem de illa ebrietate, & intemperantiori potu, qui usus rationis non privatus, animosior duntaxat, & audacior effectus, vel ad insolitam iram, & temeritatem excitatus occidit, vel

mutilat; tamen enim irregularem esse, & quidem ex homicidio voluntario, non Casuali, ac propterea etiam alius poenis Juris subiacere, extra controversiam est: sed est questio de ebrietate usu rationis privante. Hoc notato,

205 Resp. I. Homicidium Casuale ab ebrio, usu rationis privato commissum, irregularitatem non inducit, si ebrietas ex vino, vel alio potu, plùs, quam æstimabatur, forti, & generoso, vel aliàs inopinatio, & absque culpa accidit: Imò etiam quando ebrietas fuit voluntaria quidem, & graviter peccaminosa, homicidium tamen nullo modo fuit intentum, nec præsumtum, nec rationabiliter prævideri potuit. Covarruvias in Clem. un. p. 3. nu. 3. Barbosa in cit. Clem. n. 10. Navarrus Manual. cap. 27. n. 230. Azorius Instir. Moral. p. 1. lib. 7. c. 33. q. 7. & alii contra Sylvestrum v. Homicidium §. 4. n. 5. ac nonnullos alios, arg. cit. Clem. un. h. 1. Ratio est; Tum quia sicut in dicta Clem. ob defectum usus rationis ab irregularitate immunis est homicidium committens furiosus, aut infans, aut dormiens, sic ab eadem immunis erit ebrius homicidium committens, cum, uti supponitur, & iste usu rationis tempore ebrietatis caret: tum quia homicidium præfatum modo in ebrietate commissum, penitus est involuntarium, & caret omni culpa, consequenter & poenâ præsertim irregularis carere debet; eo quod homicidium privata autoritate sine culpa factum irregularitatem non inducat; cum nullibi in Jure reperitur actui privato culpa vacanti irregularitatem esse annexam, consequenter subintre dispositio c. Is qui de Sentent. Excomm. in 6. ubi statuitur, irregularitatem non incurri, nisi in casibus à Jure expressis.

206 Nec refert, si quis voluntariè, & gravi culpa se inebriavit; quia licet in tali casu ebrietas ad culpam imputetur, tamen factum in ea homicidium, vel alius actus culpa, consequenter & poena vacat, arg. can. Inebriaverunt, q. 8. seq. cau. 15. q. 1. ubi Loth ob ebrietatem ex nimio vino sibi obvencientem culpabilis quidem, ob inceptum tamen cum filiabus in ea commissum à culpa immunis declaratur.

207 Dicitur autem notanter in Conclusione nu. 205. positâ, si homicidium nullo modo fuit intentum, nec præsumtum, nec rationabiliter prævideri potuit. Nam si quis studiosè eo animo se inebriat, ut in ebrietate alterum interficiat, consequenter homicidium intendit: vel si hoc quidem non intendit, scit tamen, quod in ebrietate homines periculosè invadere, & propterea in periculo homicidii versari soleat, consequenter hoc prævideat, vel saltem rationabiliter prævidere debeat, irregularis utique efficitur, si homicidium in ebrietate quantumvis usu rationis privatus existit; uti cum communi aliorum bene doctent Doctores n. 205. citati. Ratio patet; quia in tali casu Homicidium saltem indirectè, & in causa est voluntarium, consequenter merito ad culpam imputatur, & poenam.

208 Resp. II. Sicut ab irregularitate, ita etiam ab omni alia poena in utroque foro tam Civili, quam Canonico immunis est, qui in ebrietate homicidium committit, casu, quo ebrietas inopinatio, & ex improviso sine culpa bibentis contingit. Communis & certa, utriusque Juris Doctores & Theologi. Ratio est; quia, ubi proflus nulla culpa est, nulla etiam poena esse debet: Nam juxta factas Litteras, Deut. cap. 25. v. 3. pro mensura peccati, erit plagarum modus. Hinc c. Felix §. de Panis in 6. ita statuitur: Judex panam metietur ex culpa; siquidem omnis poena, ait S. Augustinus lib. 1. Retract. cap. 9. Si justa est, peccati poena est. Quare si homicidium ab infante, furioso, & amente commissum ob defectum culpæ, nulli poenæ subiect, l. Insans. 12. ff. ad Leg. Corn. de Sicar. & can. Aliquos, cau. 15. q. 1. Sic idem

Reiffenstuel Jus Can. Tom. V.

dicendum erit ob paritatem rationis de Homicidio à præfato ebrio commissum: præsertim cum etiam pro hujusmodi ebrii militet ratio in cit. can. aliquos expressè illis verbis: quomodo enim res constitueretur, quæ nescit, quid faciat.

Et quoniam Jura & rationes nun. præced. pro 209 inculpabiliter inebriato militent etiam de illo, qui quidem culpabiliter se inebriavit, homicidium tamen nullo modo prævidit nec rationabiliter prævidere potuit, etiam talem sicut ab irregularitate, ita ab omni alia Juris poena (loquendo de Jure naturali) immunem declarat Molina de J. & J. tract. 3. Disp. 38. n. 8. Lessius lib. 4. de J. & J. cap. 3. n. 27. Layman. lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 4. n. 2. Gutierrez lib. 2. can. 99. cap. 4. n. 95.

Dicitur tamen notanter loquendo de Jure naturali; 210 quia ex specialibus statutis, vel consuetudine allegatis nun. præced. Homicidium committentes in ebrietate culpabili, puniuntur saltem poenâ extraordinariâ, uti bene observat Layman loc. cit. ad finem, arg. l. Aut facte. 16. §. 8. de Panis.

Resp. III. Qui sufficienti experientiâ edoctus scit, 211 se in ebrietate solere homines periculosè invadere, & tamen voluntariè, ac culpabiliter se inebriat, præter irregularitatem, etiam Jure Civili statutam non quidem ordinariam, sed extraordinariam poenam Homicidii, contrahit. De irregularitate patet ex dictis supra n. 207.

De aliis non quidem ordinariis, sed extraordinariis 212 riis duntaxat poenis, docet Menochius de Arbitr. Judic. casu 325. num. 3. Clarus §. fin. q. 60. num. 12. Covarruvias in Clem. un. h. 1. p. 3. num. 4. & alii. Ratio est; quia poena ordinaria ultimi supplicii duntaxat Homicidii vi legis Cornelie infligitur, qui Homicidium ex proposito, & dolo pertrahant, l. 1. prin. c. 1. c. 3. item l. in lege. 7. ff. Ad leg. Corn. de Sicar. dolo autem, vel ex proposito talis ebrius, ut supponitur, nec occidere presumitur, arg. l. perspicuum. 11. §. 2. ff. de Panis.

Nec refert, quod tale homicidium censetur saltem 213 indirectè voluntariè commissum, & ex culpa facta, quæ equiparatur dolo, l. quod Nervæ. 32. ff. Depositi. Respondetur enim, culpam latam equiparari quidem dolo in contractibus, non verò in delictis poenam corporalem, vel infamiam inducentibus, arg. cit. l. in lege 7. ff. ad leg. Corn. de Sicar. juncto c. Oda. 15. & c. in panis 49. de Reg. Jur. in 6.

§. VI.

De Dispensatione in Irregularitate ortâ ex Homicidio, vel Mutilatione.

S U M M A R I U M.

- 214 De tribus an dispensare valeant? est questio, Papa videlicet, Episcopo, & Regularibus.
- 215 Papa in quavis irregularitate potest dispensare.
- 216 Solvitur instantia.
- 217 Quamvis Episcopus possit dispensare in quavis irregularitate proveniente ex delicto occulto & n. seq.
- 219 Nequit tamen dispensare in irregularitate ex Homicidio injustè directè intento, quantumvis occultum existat: & anobis n. præced.
- 220 Neque in irregularitate ex defectu lenitatis ex Homicidio auctoritate publicâ in Malefactores, vel in bello justo facta.
- 221 Bene verò in irregularitate ortâ ex Homicidio ob sui, vel aliorum defensionem facta, non servato moderamine inculpata turba.

- 222 Solvitur Obiectio.
- 223 Pariter dispensare potest in irregularitate orta ex Homicidio Casuali occulto.
- 224 Quandocumque Homicidium qualescunque tandem Jam est publicum, aut deductum ad forum contentiosum, nequis Episcopus in irregularitate inde orta dispensare potest.
- 226 Potest insuper Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex Mutilatione oculi etiam directe, & malitiose intentata.
- 227 Solvitur Obiectio.
- 228 Superiores Regulares possunt cum subditis suis dispensare in quavis irregularitate ex occulta mutilatione, vel Homicidio etiam directe intento, proveniente.
- 229 Quodnam Homicidium ad propositum dicatur occultum?
- 230 Quod probari nequit, occultum dicitur, & non. *Præced.*
- 231 Secundum plures Doctores etiam illud Homicidium dicitur occultum, quod non pluribus, quam quinque notum est.
- 232 Homicidium ad forum contentiosum deductum dicitur, quando sit contestatio litis, & non antea, & non. *Seq.*
- 234 Quia litis contestatione facta Episcopum adhuc dispensare posse saltem post litem finitam, volunt aliqui.
- 235 Sed contrarium probabilius est.

214 Ante responsum notandum de Tribus præcipue queri posse, an, & in quibus irregularitatibus dispensare valeant? de Papa videlicet, Episcopis, & Privilegiatis, præsertim Regularibus. De quibus singulis singula instituemus quaerita. Hinc

215 Queritur I. An, & in quibus irregularitatibus ex Homicidio provenientes dispensare valeat Papa? Resp. I. Papa, sicut in quavis alia, ita etiam in irregularitate ex Homicidio quocumque tandem proveniente dispensare potest. Unanimis & certa. Ratio est; quia omnis irregularitas non nisi Jure Ecclesiastico est introducta; in hoc autem Papam dispensare posse, explorati Juris est; *can. inferior. 4. dist. 21. & c. Propositus. 4. de Consecratione Præbend. ibi: Qui secundum plenitudinem potestatis de Jure possimus supra Jus dispensare.*

216 Nec obstat, quod irregularitas ex Homicidio præsertim injusto dicatur indispensabilis; quia hoc intelligi debet, non qualem in ea etiam Papa dispensare absolute non valet, sed quod raro, & difficillimè, & ferè non nisi cum Religiosis, vel qui Religionem in aliquo Ordine Mendicantium intrare vult, dispensare soleat, ut cum Comuni bene advertit Covarruvias in *Clem. un. h. t. p. 2. §. 3. num. 3. Abbas in s. c. scut. 6. num. 12. h. t. & alii.*

217 Queritur II. An, & in quibus irregularitatibus ex Homicidio provenientes dispensare valeat Episcopus? Resp. I. Quamvis Episcopus possit in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto provenientes dispensare, tamen circa irregularitatem ex Homicidio ortam antiquis, quidquid dicant, Canonibus dimissis, hodie duplicem observare tenetur dispositionem Concilii Tridentini, quarum prima est *Sess. 14. de Reformat. cap. 7. sic sonans: Qui sua voluntate homicidium perpetraverit, etiam si crimen illud occultum fuerit, nullo tempore ad Ordines promoveri possit, nec illi aliqua Beneficia Ecclesiastica conferre liceat, sed omni Ordine, ac Beneficio, ac Officio Ecclesiastico perpetuo careat. Si verò homicidium non ex proposito, sed vim vi repellendo, ut si quis se à morte defendens, fuisse*

commissum narretur, quam ob causam etiam *ad SS. Ordinum, & Altaris Ministerium, & Beneficia quacumque, ac dignitates jure quodammodo dispensatio debeat; committatur loci Ordinario, aut ex causa Metropolitanano, aut viciniori Episcopo, qui non nisi causa cognita, & probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.*

Altera verò *Sess. 24. cap. 6. ita sonat: Licet Episcopi in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, exceptis, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum dispensare possint.*

Resp. II. Nequit Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex Homicidio voluntario injusto directe intento (de quo egimus supra §. II.) quantumvis sit occultum, Barbofa in *Concil. Trident. cit. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. num. 30. Navarrus Manual. cap. 27. num. 240. Covarruvias in Clem. si furiosus h. t. p. 2. prin. & §. 1. num. 2. Pihing h. t. n. 125. cum Comuni & certa aliorum. Ratio patet; quia quidquid sit de Jure antiquo, potestatem dispensandi in prædicto homicidio Episcopis non competere à Concilio Tridentino. cit. *Sess. 24. cap. 6. vel declaratum vel de novo statutum fuit, ubi per homicidium voluntarium intentum injustum directe intentum, & volitum, bene observant Doctores supra citati.**

Resp. III. Pariter non potest Episcopus dispensare in irregularitate, quam ex homicidio justo publicè auctoritate facta in Judicio sanguinis, & in bello justo ob defectum lenitatis contra mortem Judices, & alii Officiales, ac Ministri ad mortem propinque concurrentes (de quibus supra §. III. à nu. 75. egimus) item milites in bello etiam justo pugnantes (de quibus *cit. §. III. à nu. 115.*) Suarez de *Irregular. Disp. 6. p. 14. §. 7. n. 6. Avila de Censuris disp. 6. sect. 5. dub. 1. Concl. 1. Gutierrez can. q. lib. 2. cap. 6. n. 170. Garcia de Benefic. p. 7. cap. 11. n. 40. Navarrus Manual. cap. 27. nu. 217. & lib. 5. *Constit. consil. 39. h. t. Layman lib. 3. tr. 3. par. 3. cap. 12. n. 5. Pihing h. t. n. 129. cum Comuni & probabiliori aliorum. Ratio est; quia vi Concilii Tridentini loc. cit. Episcopus conceditur potestas dispensandi duntaxat in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes, ut patet ex textu supra n. 218. relato; Atqui Homicidium publicè auctoritate justè factum, non est delictum, ergo. Accedit consuetudo, & praxis, quæ est optima legum interpretis, l. ff. de leg. constat enim Episcopos cum nullo ex præfatis ob defectum lenitatis irregularibus dispensare, sed illos ad Curiam Romanam dirigere solere, prout etiam stylus Curie, qui pro lege habetur, c. ex litteris. de *Constit. idem tenet.***

Resp. IV. Econtra verò potest Episcopus dispensare in irregularitate proveniente ex homicidio occulto causâ defensionis facta, non servato moderamine inculpate tutele, (de qua supra §. IV. à nu. 147.) Gutierrez *can. q. lib. 1. cap. 65. nu. 13. Barbofa in Concil. Trident. loc. cit. n. 32. Navarrus Manual. cap. 27. n. 239. Layman loc. cit. n. 2. Avila de Censuris Disp. 6. sect. 5. dub. 5. Concl. 1. Molina de J. & J. disp. 79. n. 8. & §. 11. Pihing h. t. n. 128. Ratio est; quia Concilium Tridentinum, dum *Sess. 24. de Reformat. cap. 6. concedit Episcopis facultatem dispensandi in irregularitate ex delicto occulto, proveniente, solum excipit Homicidium simpliciter voluntarium injustum directè intentum, & volitum juxta dicta supra num. 219. tale autem non est homicidium in Conclusionem positum: Quamvis enim ob excessum moderamine inculpate tutele sit illicitum, & injustum; tamen quia ob necessariam sui, vel aliorum defensionem non sponte, sed quasi coactè, & necessa-**

necessariò, ac non nisi quoad modum illicitè fuit, simpliciter & directè voluntarium dici non potest.

222 Nec obstat, quòd in Concilio Tridentino *Sess. 14. de Reformat. cap. 7. dicitur, dispensationem in irregularitate orta ex homicidio causâ defensionis facta committendam esse Ordinario loci, ut causâ cognita dispense; ergo potestas dispensandi de Jure non competit, nec est commissa Episcopo, sed primùm per Papam committenda. Respondetur enim, ibi esse sermonem de homicidio publico causâ defensionis facta, & de irregularitate inde orta, in qua Episcopus dispensare non posse, ipsemet fatetur, juxta dicenda infra n. 224. Pihing h. t. n. 128.*

223 Resp. V. Pariter dispensare potest Episcopus in irregularitate orta ex Homicidio Casuali occulto (de quo supra §. præc. à n. 181.) Barbofa de *Offic. & potestat. Episcop. allegat. 39. num. 48. Gutierrez loc. cit. Navarrus Manual. cap. 27. n. 219. Layman lib. 3. tr. 3. cap. 12. nu. 2. Miranda in *Manual. Prælat. Tom. 2. q. 8. art. 3. Concl. 2. & §. 3. Pihing h. t. n. 127. Ratio est: quia in priori Conclusionem n. 221. posita, videlicet, quia tale homicidium non est directè, sed indirectè duntaxat, & in causa voluntarium, consequenter à Concilio Tridentino non exceptum.**

224 Dicitur autem notanter tam in præcedenti, quam in priori Conclusionem n. 221. posita ex homicidio occulto. Nam

225 Resp. VI. Quandocumque homicidium causâ defensionis factum, vel aliud casuale est notorium, & publicum, vel ad forum contentiosum jam deductum, dispensare in irregularitate inde orta minime potest Episcopus. Barbofa in *Concil. Trident. cit. Sess. 24. cap. 6. n. 37. Pihing h. t. n. 128. Bonacina de Censuris. Disp. 1. q. 3. p. nu. 2. nu. 2. Sanchez de Matrim. lib. 2. disp. 37. n. 12. Gutierrez *can. q. lib. 1. cap. 3. ad finem, & alii. Patet Conclusio ex Concilio Tridentino tam *Sess. 24. de Reformat. cap. 6. ubi in priori loco dispensationem in irregularitate orta ex homicidio causâ defensionis, vel casualiter facta committendam, non committit Episcopis dicit, si est publicum homicidium, per dicta n. 217. & num. 222. In posteriori autem (ut videre est in textu num. 218. adducto) præcisè in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes potestatem dispensandi concedit eisdem; ergo non in illis, quæ proveniunt ex delicto publico, vel deducto ad forum contentiosum.***

226 Queritur III. An, & in quibus irregularitatibus ex mutilatione provenientes dispensare valeat Episcopus? Resp. I. Potest Episcopus in quavis irregularitate ex mutilatione quacumque tandem injusta, & voluntariè ac directè intentata, occultè tamen dispensare. Garcia de *Benefic. cap. 11. à n. 3. Suarez de Censuris. Disp. 4. sect. 1. n. 4. Navarrus Manual. cap. 23. n. 240. Layman lib. 3. tr. 3. p. 3. cap. 12. n. 2. Diana p. 4. tr. 2. *resolut. 71. Barbofa in Concil. Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. n. 36. cum Comuni aliorum contra Sanchez lib. 1. Moral. cap. 10. n. 40. Ratio est, quia Concilium Tridentinum cit. cap. 6. excipit solum irregularitatem ex homicidio voluntario proveniente: exceptio autem firmat Regulam in contrarium in casibus non exceptis, arg. l. in iur. *quæ ff. ad Leg. Accedit, quòd concessa à Tridentino facultas dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientes sit late interpretanda, utpote beneficium Principis, & quidem Juri inferunt, ac non tam persone, quam dignitati arg. cum dilecti. 6. de Donat. ibi: In beneficiis plenissima est interpretatio facienda, & l. Beneficium. 3. de *Constitut. Princip. Confirmatur etiam per Declarationem Cardinalium, de qua Doctores citati.****

Nec obstat, quòd homicidium, & mutilatio quo ad irregularitatem equiparentur, arg. *can. Si quis absciderit. 4. dist. 55. Cum Concordantiis. Respondetur enim Homicidium, & Mutilationem equiparari quidem quoad contrahendam irregularitatem, jure sic disponente; non verò equiparari quoad gravitatem culpæ, & dispensationem.*

227 Queritur IV. An, & in quibus Irregularitatibus ex Homicidio, & Mutilatione provenientes dispensare valeant Superiores Regulares? Resp. I. Superiores Regulares possunt dispensare cum subditis suis in irregularitate proveniente ex Homicidio, & Mutilatione illicita, non tantum casuali, & causâ defensionis cum excessu moderamine inculpate tutele perpetrato, sed etiam cum directè & voluntariè intento, occulto tamen *Roderiquez Tom. 1. q. 24. art. 12. Miranda in Manual. Tom. 2. q. 8. Concl. 5. Potel in dub. Regular. y. dispensare. n. 8. Hyacinthus Donatus Tom. 2. tr. 11. q. 9. & segg. Peliz. p. 1. tr. 10. cap. 20. q. 24. & segg. Castro Palao de Censuris. disp. 6. p. nu. 15. §. 3. num. 4. & alii. Ratio est; quia hæc potestas eis competit ex specialibus privilegiis per varios Pontifices concessis, quos præfati allegant Doctores. Plura de his infra *Tit. XXXIII. de Privilegiis, item *Tit. XXXVII. de Penitentis, & Remissionibus. Cæterum cum sæpe fiat mentio, quòd possint Episcopi, & Superiores Regulares dispensare in irregularitatibus ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum.***

228 Queritur V. Quodnam dicatur delictum occultum? & quòd non deductum ad forum contentiosum? Resp. I. Imprimis certum est, illud homicidium in ordi ad obtinendam dispensationem esse, & dici occultum, quod probari nequit. Ratio est; quia quod probari nequit, propriè occultum dicitur. *Abbas in c. Vestra. 7. de Cohabitat. Cleric. & mulier. n. 7. & ibi Egnanus n. 45. dicens, neminem disceptare, & jam diximus supra *Tit. I. n. 241.**

229 Inferunt, esse & dici ad propositum homicidium occultum, etiam si de illo quis sit diffamatus, vel suspectus, quando sit vel nemine presente uno tantum (quia unus testis nil probat per *vulgaria*) vel etiam duobus aut pluribus, sed talibus presentibus, qui vel à Jure, vel factò à ferendo contra delinquentem testimonio sunt impediti.

230 Resp. II. Multi graves Doctores probabile censent, etiam illud homicidium in ordine ad obtinendam dispensationem sufficienter dici occultum, quod, licet coram pluribus factum sit, consequenter probari possit, tamen non pluribus, quam duobus, tribus, aut quinque notum est; consequenter notorium non sit notorietate facti, nec Juris, quippe de quo delinquens nec confessus, nec convictus, nec per sententiam aliquam criminis declarationem judicatus est. Ita ad propositum docent Sanchez de *Matrim. lib. 8. Disp. 34. nu. 55. Navarrus Manual. cap. 27. n. 255. Francisc. Leo Praxi S. Penitent. p. 2. cap. 6. n. 6. Idem tenere videtur Barbofa in *Concil. Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. nu. 26. allegans plurimos Doctores, arg. c. Vestra, de Cohabitat. Cleric. & mulier. Ratio est; quia et si tale homicidium non sit propriè occultum, est tamen penè tale: cum non sit notorium: Imò à Glossa in *can. Manifesta. can. 2. q. 1. occultum absolute dicitur; ibi: Occultum dicitur, quòd quinque sententis: & alibi atque amplius diximus *cit. *Tit. I. à n. 241. ubi vide.*****

231 Resp. III. Ad forum contentiosum deductum dicitur omne & solum illud homicidium, vel aliud delictum, super quo ad Judicem jam delato f. & est contestatio litis. Barbofa de *Offic. & potestat. Episcop. allegat. 39. à n. 29. Diana p. 4. tr. 2. n. 93. Castro Palao *Tr. 3. cap. 6. p. nu. 15. §. 1. n. 10. Gavanti. Manual. Prælat. y. Absolutio. n. 12. Ratio est; quia *formal-***

contentiosum dicitur ex eo, quod in illo contendatur, seu litigetur; atqui non contenditur in eo, donec inter partes litigantes deur contradictio, & contentio, quod fit per lites contestationem, arg. c. Ex parte 10. de V. S. Farinac. Prax. Criminal. q. 10. n. 55. in fine, ex his

233 Inferitur, posse Episcopum in irregularitate ex Homicidio Casuali, vel causa defensionis orta, & Superiorem Regularem cum suis subditis in irregularitate ex homicidio etiam directe voluntario contracta dispensare, etiam si Delinquens ratione illius jam sit judicialiter delatus, & citatus; si lites contestatio facta non est, & ceteroquin crimen adhuc non est notorium, sed occultum modo supra a num. 229. declarato.

Volunt quidem nonnulli, ut Sanchez lib. 2. Moral. cap. 11. n. 2. Layman lib. 1. tr. 3. p. 5. cap. 9. n. 5. Diana, & alii, posse Episcopum, & Regularem Superiorem, ut supra, dispensare etiam post lites contestationem, postquam nempe lis in iudicio jam finita, & Delinquens ob delictum punitus est; eod quod finis, ob quem S. Synodus prohibuit Episcopis, ne delicto ad forum contentiosum jam deducto dispensent, jam sit obtentus, ne videlicet Curie super delicto iamjam cognoscens auctoritas minueretur, & satisfactio congrua impediretur.

Verum quia, si Concilium Tridentinum Sess. 24. de Reform. cap. 6. non tantum prohibuit dispensationem, si homicidium ad forum contentiosum jam est deductum, sed etiam illud jam est notorium & publicum; Homicidium autem, de quo in foro contentioso jam cognitum, & sententia lata fuit, sit, & maneat publicum ac notorium notorietate Juris etiam, post finitum iudicium, hanc dispensandi potestatem merito negant Garcias p. 7. de Benefic. cap. 11. n. 50. Gutierrez can. q. lib. 1. cap. 3. n. 10. Barbosa loc. cit. n. 25. Calteo Palao de Censuris. disp. 6. pun. 7. n. 13. Bonacina disp. 7. q. 5. pun. 1. n. 6. pro qua opinione citatur etiam declaratio Cardinalium.

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio ordinis.
- 2 Torneamenta quid?
- 3 Fieri possunt cum
- 4 Et sine periculo vite.
- 5 Priori modo sunt prohibita.
- 6 Et quidem sub pena Homicidii afflicte occidentem, & privationis sepulchri Ecclesiasticae afflicte occisum.
- 7 Posteriori autem modo sunt licita, & consueti Laicis: & n. seq.
- 9 Non item Clericis.

Ad vitanda homicidia prohibuit Ecclesia frequentiores eorum causas, cujusmodi sunt Torneamenta, duella, & ars sagittaria. De quibus proin post Titulum de Homicidio in presenti, & duobus sequentibus Rubricis recto ordine agit Juris Compilator.

2 Quæritur itaque ad propositum præsentis Rubricæ quid? quotuplicia? quibus? & sub qua pena prohibita sint Torneamenta? Resp. I. Torneamenta (Germanice Thurnier) sunt mundicie seu ferice, & hastiludia, seu pugne solennes Equitres, quibus milites, vel, uti præteritis seculis frequentius fieri solebat, Nobiles Equitres ex conditio conveni-

re & ad ostensionem virtutum, animositatisque & pericie tractandorum armorum congressi solent. Ita in substantia describuntur c. 1. h. t. & notant ibidem Doctores.

Resp. II. Hujusmodi Torneamenta duplicia sunt, 3 vel potius duplici modo fieri possunt. Primum temerè, & cum ordinariè adjuncto mortis periculo, quando nempe ad invicem congregientes, hastis acutis culpidis præfixas habentibus, aliusque armis ad vulnerandum præparatis utuntur.

Secundò modo sine temeritate, & mortis periculo; dum videlicet congregientes ad invicem debitam cautelam, vel arma hebetata, hastisque sine cuspidè adhibent vel loriceis, & galeis secure ita munis comparant, ut omne periculum vitæ abiat; vel denique hastis & armis non se invicem, sed suppositas figuras petunt.

Resp. III. Quamvis Torneamenta priori modo 5 descripta veteri Jure Civili permittenda videantur; arg. l. quæ actione. 7. §. 4. ff. ad Leg. Aquil. & l. Solent. 2. ff. de Aleat. tamen Jure novo Codicis, & præcipue Jure Canonico gravissime sunt prohibita. In Jure Civili quidem l. in. C. de Gladiat. Jure Canonico c. 1. & 2. h. t. Ratio adjungitur c. 1. h. t. quia inde mores hominum, & animarum pericula sæpe proveniunt; unde etiam detestabiles ibidem vocantur.

Resp. IV. Pena in hujusmodi Torneamentis 6 pugnantium est, quod, qui in illis aliquem occidit, veri homicidii & penarum illius utroque Jure statutarum reus sit, prout post Hostientem in Summa. h. t. n. 3. bene observat Pirhing h. t. n. 2. Ille verò, qui occiditur, licet ei ante obitum Sacramenta Ecclesie non negentur, Ecclesiastica sepultura carere debeat, textu expresso cit. c. 1. h. t. ibi: Quod, si quis eorum ibi mortuus fuerit, quantumvis ei postea penitentia non impetitur, Ecclesiastica tamen caret sepultura. Intellige, si animo ibidem pugnandi accesserit; illi enim, qui ex alio etiam curiositatis fine illic existunt, & spectatores agunt, Ecclesiastica sepultura non privantur, si casu ibidem intereant, textu claro c. 2. h. t.

Resp. V. Licet etiam posterior Torneamentorum 7 modus nun. 4. delatus, olim à Clemente V. in Concilio Viennensi per Constitutionem, que incipit Passiones, sub Excommunicationis & aliis gravibus penis fuerint prohibita ex eo, quod Nobiles ad illa se præparantes immodicos pro splendore & apparatu fecerint sumptus, indeque à dando subsidio Terræ sanctæ inhabiles fuerint redditii, uti observat Gonzalez in cit. c. 2. h. t. n. 7. Dictam tamen Constitutionem, penamque in illa contentas, ad instantiam Regis Gallie, & Germanie Principum, ac Magnatum revocavit Joannes XXII. In Extravag. un. h. t.

Hinc Torneamenta, & Hastiludia posteriori modo 8 accepta, que nostris temporibus in Principum Nativitate, inauguratione, nuptiis & passim fieri solent, nec culpe, nec penæ subjacent respectu Laicorum, etsi per accidens, ac præter opinionem homicidium alicujus sequatur, ut colligitur ex textu cit. Extravag. Joannis XXII. un. h. t. & bene observat Navarrus Manual. cap. 15. n. 9. & 21. Abbas in c. 1. h. t. & ibi Barbosa n. 2. Gonzalez in c. 1. h. t. n. 6. & alii. Ratio est; quia hæc Torneamenta ex se nullum vitæ periculum adjunctum habent; & prolix per accidens est, si mors ex eis sequatur.

Dicitur tamen notanter respectu Laicorum, quia Clericis utroque modo accepta prohibita sunt Torneamenta. Gonzalez loc. cit. n. 8. & seqq. Sylvestre §. Ludas, & Torneamenta. Clarus §. Ludas. Tufchus §. Ludas comel. 456. & alii, id probant ex variis

variis Consiliis; ut Heripolentis celebrato tempore Honorii IV. ubi can. 4. ita statuitur. Hastiludia, & Torneamenta Clericis, qui sunt in dignitatibus, personatibus, & sacris ordinibus constituti, hoc edicto perpetuo sibi noverint interdici. Similis prohibitio, & quidem sub anathemate facta est in Concilio Salisburgensis sub Martino IV.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

- 1 Duellum quid?
- 2 Aliud est solemne.
- 3 Aliud privatum.
- 4 Utrumque est prohibitum.
- 5 Sub gravissimis penis: & quibus?
- 6 Præter Duellantes, etiam alii veluti Patrini, consilium, auxilium, favorem præbentes ad illud, item permissores illud, ac Spectatores illius penis subjacent, & num. seq.
- 8 Bulla Clementis VIII. contra Duellantes lectu dignissima, & necessaria.
- 9 Ut Duellum indicat panis Juris, debet esse proprie tale, id est ex conditio deliberatè, cum designatione certi loci, & temporis.
- 10 Unde ex sibi ira progredientes, & duellantes non incurrit panis.
- 11 Nec qui in loco ad Duellum incepto rixam inchoantes provocant foras, & sine morali intervallo, durante calore ira statim congregantur.
- 12 Requiritur insuper, ut sit armis, & modis periculum mortis inducentibus.
- 13 Unde certamen pugnis initum non subjacet panis.
- 14 Et secundum Pignatelli non illud Duellum, quod ex prævia infamiatione, vel conventionione caret omni periculo vitæ: & duobus num. seqq.
- 15 Que quidem doctrina controversiam patitur.
- 16 Cui respondetur.
- 17 Et ostenditur, doctrinam illam, si probabilis est, in præci esse summe favorabilem pro militibus.
- 18 Spectatores Duelli quomodo imminet sint a panis?
- 19 Licetum est offerre, & acceptare Duellum pro necessaria defensione vitæ, & membrorum.
- 20 Et honorum fortuna magni momenti.
- 21 Ponitur, & solvitur obiectio.
- 22 Speculativè loquendo licetum pro necessaria defensione sume & honoris estium est duellare.
- 23 Præci verò loquendo ordinariè illicitum, & panis subjacent est.
- 24 Quia nec acceptatio Duelli, nec oblatio illius necessaria medium est pro tuenda fama, & honore: & duobus num. seqq.
- Præci cum reputatione revivendi Duellum. Ibid.
- 25 Ad evadendam notam timiditatis non licet acceptare Duellum.
- 26 Duellum offerre non est necessarium pro tuenda fama, & honore.
- 27 Nec utile, vel conducens.
- 28 Solvuntur obiectioes usque ad n. 35.
- 29 Afferitur præci, vel corruptela Germanie duellandi pro tuendo honore.
- 30 Et respondetur, quando licetum sit, & quando non: & tribus num. seqq.
- 34 Afferuntur due alie Obiectioes pro Germanie præci circa Duella, & solvuntur: & num. seq.
- 36 Ad ostendendam animositatem, vel peritiam duellandi non licet duellare.

37 Minus ex vindicta licetum est provocare ad Duellum.

38 Vel illud adhibere pro indaganda veritate, innocentia, vel justitie alicujus.

39 Ob bonum publicum, dirimendum v. g. Bellum, offerre, & acceptare licet Duellum.

40 Nisi per hoc magis redderetur dubia victoria quam per bellum ex parte Principis reverentis bellum justum.

41 Constitutiones Pontificie quoad panas temporales contra Duellum statutas non videntur receptæ in Germania.

42 Bene verò quoad panas spirituales.

43 Vulneratus in Duello caret sepultura Ecclesiastica, etsi penitens, & absolutus tam a peccatis, quam Censuris sit, si in loco Duelli, vel alibi sine morali intervallo moritur.

44 Secus, si in alio loco post unum, aut alterum diem primum moriatur.

45 De personis, que occasione Duelli subjacent panis, Remissive.

46 Spectatores Duelli quando sint imminet a panis?

47 Quis possit absolvere ob Excommunicatione ob Duellum incepta?

Ueritur I. Quid, & quotuplex sit Duellum? Resp. I. Duellum sic dictum, quali duorum bellum vel certamen in sensu hujus Rubricæ rectè definitur dicendo: Duellum est singularis pugna duorum inter se ex conditio suscepta. Ita in re Communis. Quod Duellum vocat Monomachiam vocatur, can. Monomachiam. 22. cau. 2. q. 5.

Resp. II. Duellum ita definitum principaliter dividitur in solemne, & privatum. Solemne est, quod fit servatà certà formâ, & solemnitate circa tempus & locum securitatis privilegio præditum (quod Campum francum communiter appellant) adhibitis etiam testibus, seu Patrini, quos Secundarios vocant.

Privatum est, quod quidem etiam ex conditio, 3 statutoque tempore & loco absque aliis tamen solemnitatibus circa securitatem loci, & Patrini adhibitis fit, uti cum aliis notat Desselius ad hanc Rubricam.

Quæritur II. An, & sub quibus penis prohibita sit Duellum? Resp. I. Regulariter loquendo Duellum utroque modo acceptum Jure Divino & humano tam Civili, quam Ecclesiastico sub penis gravissimis est prohibitum. Communis & certa L. un. C. de Gladiat. can. Monomachiam. 22. c. 2. q. 5. & Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. cap. 19. ibi: Detestabilis Duellorum usus fabricante diabolo introductus, ne cruciata corporum morte, animarum etiam perniciem creetur, ex Christianorum orbe penitus exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocunque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint, eo ipso sint excommunicati, ac jurisdictione, & dominio Civitatis, Castri, aut loci, in quo, vel apud quem Duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent, privati intelligantur: & si feudales sint, directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam commiserint, & qui eorum Patrini vocantur, Excommunicationis, ac omnium honorum suorum proscriptionis, ac perpetue infamie panam incurrant; & ut homicidæ juxta Canonem puniri debeant. Et si in conspectu accesserint, perpetuo careant sepultura Ecclesiastica. Illi autem, qui consilium in causa Duelli tam in Jure, quam facto dederint; aut alii quocunque ratione ad id quicquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis, ac perpetue maledictionis vinculo tenentur; non obstante quocunque privilegio, aut panis, consuetudine, etiam immemoriali.